

**05**

**A**

**573**





IN NOMINE JESU!  
**DECANUS**  
 THEOLOGICÆ FACULTATIS  
 IN  
 ILLUSTRIVVITTEBERGENSIUM  
 ACADEMIA

**JOHANNES Deutschmann/**  
 S.S. THEOL. DOCTOR, EJUSDEMQUE  
 FACULT. PROF. PUBL. ET ALUMNORUM  
 ELECTORALIUM EPHORUS,  
 MYSTERIORUM DIFFICILIUM, VERE-  
 QUE MIRABILIVM MESSIÆ  
 VICTORIS,  
 NUCLEVM ATQVE FRUCTIVM  
 LECTORIBVS BENEVOLIS,  
 IN PRIMIS  
 PATRIBVS ET CIVIBVS  
 ACADEMICIS,  
 P.

# IN NOMINE JESU!

**D**ifficilia sunt, vereq; mirabilia divina Messiae mysteria, quæ solus DEUS à priori contemplatur, Angelus summo studio speculari conatur I. Pet. I. 12. animalis homo quasi stultitiam averfatur I. Cor. II. 14. imò per carnis prudentiam iisdem adverfatur Rom. II. 7. Solus homo Christianus eadem per fidem admiratur, & in Spiritu debita veneratione meditatatur. Sapientissimus omnium hominum, Salomon, omni sua sapientia nihil eorum penetrare valuit; unde potius ipsorum difficultatem, & admirandam eorum sublimitatem venerari, quam irritò conatu profunditatem illorum scrutari voluit, inqviens Prov. XXX. 18. 19. Tria mihi difficilia sunt, & quartum penitus ignoro: Viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, & viam Viri ad Virginem. In his verbis alii Mysteria Naturæ rimantur, alii Mysteria Messiae mirantur, utriq; suam laudem merentur. Nam & natura miramovet secreta, & scriptura stupenda Messiae fovet arcana. Mittimus nos in schola Theologica Naturæ mirabilia, ad Messiae potius Mysteria respiciamus. Spiritu DEI scriptura revelata, sanguine Christi consignata, Messiae mysteriis destinata; sicut ipse dicit Psal. XL. 8. In volumine libri scriptum est de ME. Summus in observandis Messiae Mysteriis, ex Oraculo Sapientissimi Regis, Doctorum consensus est sive recentiores, sive Vetiustiores, sive Christianos, sive Judeos, evolvamur Interpretes. Nos in colligendis Eorum testimoniis nullam modo locamus operam, cum nec instituti præsentis hoc admittat ratio, dum breve quoddam programma scribere constituimus. Unicum tamen ex Judeo Christianum, D. Paulum Weidnerum, introducimus, qui tract. 2. de præ. Fid. Christ. loc. p. 256. hæc annotavit: Salomon Sapientissimus, maxima de Christo Mysteria considerans, & ea non valens aperte intelligere, fidei difficultatem non dissimulat. Hujusmodi enim Mysteria in Testamento Veteri occulta valde erant, & sub anigmate velata, ideo inquit: Difficilia mihi sunt ista tria cognoscere: Viam aquilæ in cælo, hoc est, viam adscendentis Christi in cælum, cum carne adsumta ex beatissima Virgine Maria, post ejus passionem & resurrectionem: Viam colubri super petram, id est, viam Christi de cruce ad sepulchrum, quod erat excissum in petra, de quo tertia die resurrexit, Unde ipse Christus inquit: Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, comparans se serpenti. Viam navis in medio mari, hoc est, viam Christi per tempestates & fluctuationes hujus mundi transeuntis. Viam Viri in Alma, sive in Adolescentula, vel in abscondi.

*abscondita Viro, ut Hebraeorum litera sonant, hoc est, viam Christi in utero  
 Virginis incarnati, quam viam ipse Salomon se penitus ignorare fatetur,  
 scilicet, quomodo absq; semine Virgo posset concipere, & parere perfecti in  
 DEUM & Hominum. Hæc ille, Mystera latent in verbis Salomoneis gene-  
 ralia, quæ totum Vitæ Christi curriculum absolvunt. Eadē Verba Specialia  
 quoq; fovent Mystera, quæ Specialia respiciunt beneficia, sive Conceptionis  
 & Nativitatis, sive Conversationis, & Predicationis, sive Passionis & Mortis,  
 sive Exaltationis, attendamus arcana. Patent in iis singularia quæq; Mys-  
 teria, si Modernum advertamus Evangelium. Quasi modogeniti nos sumus,  
 & ex mirabili Messæ cursu nostra spiritualis pendet generatio. Mirabi-  
 lis Via in Virgine, siquidem mirabilis ejus per fores clausas ingressus ad  
 Ecclesiam Apostolorum, verè mysticam Virginem; mirabilis ejus via, vel  
 progressus per oculos, aures, manus atq; corda: Mirabilis ejus egressus,  
 dum, ceu Mediator omnis reconciliationis, veram & meram affert pacem.  
 Mirabilis est Via navis in medio mari, dum Sacrosanctum instituit Mi-  
 nisterium, Ventoq; secundo, hoc est, dato Spiritu S. navigat ipse, remi-  
 gantibus mysticis remigibus, Apostolis, per vastissimum mundi totius  
 mare. Mirabilis est via colubri super petram. Petra dura cor Thoma, petra  
 dura sunt aures, manus & oculi Thoma, petra dura lingua Thoma dicen-  
 tis: Nisi videro in manibus ejus vestigium, clavorum, & mittam digitum  
 meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non cre-  
 dam. Sed Christus, mysticus coluber, qui non modo per januas clausas  
 viam invenire, sed etiam in petra durissimi cordis, durissimorum oculo-  
 rum, durissimarum aurium ac manuum, mirabiliter, vereq; salutariter  
 incedere novit. Deniq; mirabilis est via aquile in cælo, dum multis si-  
 gnis, cælesti majestate & gloria, virtute & potentia plenus, coram disci-  
 pulis inclaruit, & non tantum, instar Aquile Volantis, in cælum supre-  
 mum transiit, sed etiam omnibus credentibus, instar spiritualium Aquil-  
 arum, viam facilem aperuit. Hæc enim scripta sunt, ut credamus, &  
 ut credentes in ejus nomine vitam æternam habeamus. Sed hæc, & alia  
 plurima, nec libet, nec licet ulterius persequi: præstabit id ipsum abunde  
 VIR PLURIMUM REVERENDUS, AMPLISSIMUS, EXCELLEN-  
 TISSIMUS, DN. GEORGIUS SCHWARTZIUS, GRYPHISWAL-  
 DIA POMERANUS, Hactenus PHILOSOPHÆ MAGISTER SO-  
 LERTISSIMUS, & COLLEGII PH ILOSOPHICI, quod in hac Aca-  
 demia floret, ADSESSOR MERITISSIMUS, nunc SS. THEOLOGIÆ  
 CANDIDATUS DIGNISSIMUS, PASTOR ECCLESIÆ STAR-  
 GARDIENSIS AD D. JOHANNIS ET AUGUSTINI, ET SS.*

THE

**THEOLOGIE PROFESSOR VOCATUS**, optime cum **DEO** meriturus,  
 qui *Lectioibus*, quas vocant, *Cursoriis* laudatum *Oraculum Salomonenum*  
 publice declarabit, in *Cujus* Honorem præsentem *scriptionem* expedi-  
 mus. De hoc egregio *Theologia*, boniq; *publici Candidato* pro more nunc  
 pauca persequemur. Natus is est in *Gryphiswaldia Pomeranorum*, Civitate  
 non ignobili, sed vel ex *Academia* Celeberrima per aliquot secula jam il-  
 lustri. Sic ipsa *Patria*, sedes *Musarum* Nobilissima, localem studiorum  
 impetum concessit. Primam in hoc mundo lucem vidit *Dominica Esto*  
*Mihi*, Anno *MDCCL*. & de *Parentibus honestissimis*, adhuc hodie per  
**DEI** Gratiam in vivis, in Domino sibi magnopere gratulatur, Gaudet n.  
*Patre*, **VIRO PRUDENTISSIMO ET INTEGERRIMO**, **DN. CHRIS-**  
**STIANO SCHWARTZEN**, *Cive & Mercatore* non postremo, *Matre*  
 pariter, **FOEMINA PUDICISSIMA & ORNATISSIMA**, **ILSE PA-**  
**GENCOPIA**, **B. DN. GEORGII PAGENCOPII**, *Pastoris Circoviensis*  
*in Rugia* meritissimi, *Filia*, ex quo non absq; *Providentiæ* celestis augu-  
 rio *Nomen & omen* religiosum traxit, dum mox *fidei* *Parentum* cura  
 per *Sacrosanctum Christianorum* lavacrum renatus, & *Nomine Georgii*  
 celesti *Viventium* *Matriculæ* puer inscriptus est. Nec *omni* sacro fe-  
 lix defuit successus. Nam *B. Avus* hunc suum **GEORGIUM** à lacte ma-  
 terno statim in familiam cooptavit, tenellam ejus ætatem ipsemet effor-  
 mavit, *semina pietatis* accurato studio non modo *verbis*, sed *quotidianis*  
*etiam exemplis*, firmiter eid implantavit, *continuisq;* laboribus in *lingua-*  
*rum & disciplinarum Instrumentalium*, quas vocant, non *rudimentis* tan-  
 tum, sed *ornamentis* etiam, feliciter ipsam informavit. Nec *ista cura*, vel  
*industria* sancta *singulari benedictione divina* caruit. Tantos etenim  
 sub hac *Ephoria*, laudabiliq; *pedagogia*, tum in *lingvis*, tum in *disciplinis*  
 istis fecit progressus, ut ad *publicam*, ex hac *privata*, *Didacticam* consilio  
 gravi dimissus, inter *Alumnos Scholæ Gryphicæ* primos numerari potue-  
 rit. Traditus igitur *Cura Preceptorum publicæ*, de studiis ejus optime  
 sunt meriti *Clarissimi Viri*, **B. Dn. M. Barachias Spradlerus**, t. t. *Rector*, **B.**  
**Dn. M. Johannes Steinius**, t. t. *Con-Rector*, & post *Pastor ac Præpositus*  
*Bergensis in Rugia*, nec non **Dn. M. Jacobus Prillewitz** t. t. *Cantor*, nunc  
*Rector Scholæ Patrie* meritissimus. Tantam vero diligentiam hisce fi-  
 delissimis *Ductoribus & Doctoribus* probavit bene moratus *Discipulus*,  
 ut eorum consilio, maturus ad *altiores Scholas*, quas *Gymnasia* vulgo vo-  
 cant, in *Stralsundense*, illis temporibus florentissimum, *Gymnasium*,  
 relicta *Schola triviali*, discesserit. Nam ut *natura* non facit saltum, sed  
 suo, quem *Creator* voluit, ordine procedit, sic nec *ars*, nec *doctrina*, pe-  
 ricu-

ricolofos, & ſæpius pernicioſos, amat ſaltus, ſed ab *imis* ad *media*, à *mediis* ad *ſumma* progreditur. Noſter igitur *Candidatus* non ad *Academia*, quam præ foribus habebat, ſtatim evolare, ſed vires primum in *Gymnaſio* quodam tentare, & *Studia Scholeſtica* per *Exercitia Gymnaſtica* laudabili conatu, ſucceſſibus felicibus, ad *Academias* præparare voluit. In hoc *Gymnaſio* denuo fuit uſus informatione fideliffima *B. Dn. M. Barachie Spradleri*, *Gymnaſii Reſtoris*, & *B. Dn. Caſparis Movii*, *ConReſtoris*, ſub quorum manuſductione genus omne ſtudiorum ſedulo tractavit, & maturitatem ſuam ad *Academica ſtudia* laudatis Viris probavit. Horum igitur ſvaſu, juſſuque, poſtea rediit in *Academia Patriam*, & jus *Academice Civitatis* Anno *MDCCLXXIX.* quaſiſit, atque, de ſtudiorum industria cunctis noto, facilis obtinuit. Novum ꝑ novum ſtudiorum Noſtro peperit impetū. *Collegia publica* viſitavit, *Collegia* quoque *privata* frequentavit, ut profectus quotidie majores acquireret. *Lingvarum Orientalium* culturam uberioſorem in *B. Lic. Alberti Voigtii*, *Prof. Ling. Orient. Ordin. & SS. Theol. Extraord.* Collegio privato ſuſcepit, ſub cujus ductu quoque *Theologiam* univerſam ad *Theol. Poſit. B. Dn. D. Johannis Frider. Königs* manuſductionem percepit. In *Philoſophia* ſtudiis *Excellentiſ. Dn. Johannem Erneſtum Phulium*, *Amicum & Affinem noſtrum honoratiſſimum*, ſectatus eſt potiſſimum, & *Collegium*, quod vocant, *Panſophicum* non una vice ſub ejus fideliffima *χεραγωγία*, magno cum fructu ſtudiorum *Philoſophicorum*, abſolvit. In *Theologico* ſtudio, cui ſe totum ſacraverat, uberius colendo, audivit *B. Dn. D. Abrahamum Battum*, *Prof. Theol. Primarium, & Superintendentem Generalem*, ſub cujus præſidio *Librorum Symbolicorum* notitiam plenioſrem partim *opponendo*, partim *reſpondendo*, ſibi comparavit. Audivit quoque publicas *B. Dn. D. Johannis Michaelis Theologicas* lectiones, & privatas, *B. Dn. D. Königs Theol. poſitivam* explicantes, & *Excell. Dn. M. Fridericum Dedekind*, *P. P. Catecheſin Dieterici* tradentem. In hoc ſtudiorum curſu *publico* quodam *exercitio* profectus acquiſitos etiam *Academia* toti manifeſtare conſtituit, dum *Eruditam Diſputationem Publicam* ex *Phyſicis*, de *Materia & Forma*, ſub præſidio *Excellentiſ. Dn. Johannis Erneſti Phulii* magna cum laude propoſuit. Talis cum eſſet *Dn. Candidatus*, neutiquam intra privatos cancellos latere potuit. Accerſi uſ enim *Wolgastum* a *B. M. Petro Jagencopio*, *Patruo Magno*, *Eccleſie illius Archidiacono* meritiffimo, ut vices continuis calculi doloribus laborantis impleret, & ſacras coram populo *Conciones* haberet, quod pietatis officium etiam ad *biennium* adminiſtravit. Extra con-

versationem Academicam constitutus, non affectu modo, sed studio pariter continuo manit Academicus. Inter labores practicos Academicas, tum Sacra Philologia, tum Philosophia, tum Theologia, Delicias in oculis, cordeque semper habuit, & academica Vita desiderium indefinenter in ore coram suis gessit. Exantlatis igitur biennii sacris laboribus, voti compos factus, dum à Patruo Magno, & Uxore Ejus Ornatissima ac Pudicissima, Dn. Dorothea Dobes, maximis oneratus & ornatus beneficiis ad Academias, & sic ad majora dimissus est. Primum adiit Anno M DC LXXIII. Rostochiensem Academiam, & præter Philosophos Excellentissimos, Theologos Celeberrimos, Maxime Reverendos, Dn. D. Varenium, B. Dn. D. Mullerum, Dn. D. Cubabum, publicè privatimq; docentes audivit, iisque suam industriam probavit. Anno studiorum Rostochiensium exacto, desiderium Academiae Wittebergensis animo concepit, animiq; desiderium ipso facto mox explevit. Venit igitur Wittebergam Anno M DCLXXIV. & ad Me, literis systaticis instructo, statim accessit, ac ardorem erga studia, cum primis Theologica, Mibi non vulgarem aperuit. Inde  $\mu\eta\delta\epsilon\nu\ \alpha\iota\alpha\beta\alpha\lambda\lambda\acute{o}\mu\epsilon\nu$  & instar strenui militis, aliquando Ducis Insignis gloriam merituri, Collegio Controversiarum in Universam Theologiam, post Examinatoris Exercitiis Theologicis nomen suum adscripsit, & egregium in Controversiis Theologicis profectum, ac ad majora laudabilem impetum, abunde satis demonstravit. Duriora Pomerania, Patria q; dilecta, mox inciderunt tempora, satis nota, prudenti proinde consilio Philologiam Sacram, & ipsam quoque Philosophiam, arctius urgere constituit, ut ex Discipulo suo tempore Doctor, ex gregario milite Dux aliorum fieri, vitæq; subsidia laboribus honestis & Academicis comparare sibi posset. Audivit propterea Celeberrimos Philosophos & Philologos hic viventes, atq; docentes, quorum Catalogum hic adscribere non licet. Totum siquidem Academicae vitæ stadium fuit ipsi laborum concatenatorum studium. Inde primum Decano Spectabili, Viro Nobiliss. Ampliss. & Excellent. Dn. Andrea Sennerto LL. OO. Prof. Publ. Celeberrimo, & c. Magister, mox privatus Philologiae & Philosophiae Lector, post Philologicarum & Philosophicarum Disputationum publicus Praeses, demum sub Decanatu Viri Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi, Dn. Michaëlis Waltheri, Mathem. Super. Prof. Publ. Celeberrimi, Philosophicae Facultatis Assessor creatus, atq; renunciatus est. Sic quam vitam Gryphiswaldia dedit, quæ studia Patria Academia feliciter inchoavit, Academia Rosarum feliciter continuavit, Academia Wittebergensis, quam inde Matrem alteram grato pectore vocat, felicissime consummavit, & variis Honoribus exornavit. Tantus honorum concursus Nostro peperit laudatissimum laborum Philologicorum & Philosophicorum impetum. Neque multis hic verbis opus



est, vel *encomiis*, ubi *res ipsæ* loquuntur. Magnam etenim famam, & apud  
*Dn. Professores*, & apud *Cives Academicos*, continujs & eruditis suis la-  
 boribus, tam in *Philologia*, quam *Philosophia*, sibi paravit, & bonum stu-  
 diosa *juventutis* maxima cum laude sua, maximo cum fructu *Studiosorum*  
 promovit. *Collegia Philologica & Philosophica* privata, l. nominare, l. nu-  
 merare, propter *multitudinem* nō licet, neq; propter publicam omnium  
 notitiā modo libet, Publice nota nullis indigent *indiciis*. Egregias saltem  
*publicas Disputationes* producimus, quæ tum *semetipsas*, tum *Autorem*  
*suum*, citra nostrum *encomium*, satis commendant, quales sunt è *sacra*  
*Philologia Hebræa*, *Disputationes de DEI Nominibus in genere*, de  
 יהוה, יה, לן, ויין, *Græca*, Ex *Matt. XXVII. 9. 10. Apoc. XII. 7. 8. 9* Ex  
*Philosophia* per plerasq; *disciplinas*, ex *Metaphysicis*, de *Veritate Transcen-*  
*dentali*, *Unione*, *Communicatione Propriorum*, *Pneumaticis*, de *Scientia*  
*DEI Media*, *Physicis*, de *Aquis supracælestibus*, *Propagatione Anima per*  
*Traducem*, *Ethicis*, de *Conscientia*, *Conscientia obligatione*, *Politicis*, de  
*Crimine lesa Majestatis &c.* His, & aliis laboribus accuratis non modo  
*Præceptoribus & Patronis* hujus *Academiae*, sed & alibi locorum se com-  
 mendatum reddidit. Neque minorem in *Theologia* sedulitatem adhibuit,  
 quam non tantum *Mibi*, sed aliis etiam *Theologis*, hic per *DEI Gratiam*  
 publice, privatimque *Docentibus*, abunde satis probatam dedit.  
*Excellentissimi Dn. Michaelis Waltheri P. P. Collegio*, quo *B. Dn.*  
*D. Stöntg* *Theologiam positivam* illustravit, multum se debere  
 profiteretur. Inprimis vero *Theologos Ordinarios* sectatus  
 est. *Virum Summe Reverendum & Magnificum, Dn. D. Abraham Calovium,*  
*Theologum summum*, admiratus est semper, & magna cum voluptate tum  
*Lectiones* ejus publicas, tum etiam *Disputationes* publicatas visitavit. &  
*Theologiæ solidioris thesaurum* ex iis multiplicavit. Inter *Collegas* etiam,  
 sub *Iosius Præsidio* privatim disputantes suum non raro nomen professus  
 est. Visitavit etiam *Summe Rev. & Magnif. Dn. D. Johannis Meisneri lectio-*  
*nes publicas*, & in *Ej9 Collegio* tum *Anti-Calviniano*, tum *Anti-Sociniano*  
*Disputatorio* partes tum *Respondentis*, tum *opponentis*, sæpius expedit.  
 Neq; minus *Viri Summe Reverendi & Magnifici Dn. D. Johannis Andreae*  
*Qvenstedis lectiones publicas* sedulus auditor frequentavit, & sub *Ejus,*  
*Meoq; Moderamine* in *Collegio Stipendiatorum Electoralium* per integrum  
 annum *Præsidis* officium in controversiis *Theologicis* expendendis ma-  
 xima cum laude sustinuit. Nam cum SERENISSIMO AC POTENTIS-  
 SIMO ELECTORI SAXONIE NUTRITIO HUIUS ACADEMIÆ  
 MUNIFICENTISSIMO, DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO,  
 per commendationē. *Patronorum* annouillet, facilem ad *Electoralis sti-*  
*pendii* perceptionem viam invenit. Sic igitur primum in hebdomadariis  
 Exer-


*Exercitiis Philosophicis*, mox etiam in *Theologicis* *Præsidentis* Munus magno cum fructu *Studioforum* obivit. *Publicam* etiam *Disputationem* *Theologicam* de Themate, *Num* **CAROLUS V. Gloriosissima Recordationis Imperator, & alii Catholici Confessionem Augustanæ unquam approbaverint?** contra *Thomam Henrici* summa cum laude defendit. Et certe plurima foret alia, quæ longa serie ad *Candidati* præsentis *Commendationem* recensere possemus, nisi vel id *Ejus modestia* prohiberet, vel *publica fama* vices nostras sustineret. Sufficiat unicum hoc colophonis loco, quod *Ejus fama* non intra fines *Academie* nostræ permansit, sed ad *Exteros* etiam transit, prout omnium optime mihi, tanquam *Hospiti, & Studio- rum, laborum, & fortunarum* *Eius Inspectori* constat, de quo tacere tamen, quam multis id verbis exponere malo. E multis hoc unicum, quod *DEI Solius* videtur opus. Cum *Nobilissimus & Amplissimus* **SENATUS STAR GARDIENSIS**, in locum *B. Dn. D. JOSIÆ CHRIS- TOPHORI NEANDRI*, *Theologi bene meriti, Successorem* eligere, *Ecclesie de Pastore fido, Gymnasio Groningiano de Professore Theologiae laborioso, piis, iisque publicis precibus præmissis, prospicere* constituisset religiosas istas curas etiam, præter alios sibi commendatos, in Nostrum **SCHWARTZIUM** alia nulla, nisi *Fama, commendatione prævia*, non absq; *divina providentia* coniecit, suiq; desiderium per *Ecclesiasticos & Politicos Ephoros, ac Boni Publici Promotores*, Nobis semel ac iterum exposuit. Missus eò Nostris consiliis *Dn. SCHWARTZIUS*, tam *admiranda Divina Providentia vestigia, tam Insignia SUM- MORUM VIRORUM ET PATRONORUM Benevolentia Symbola, tam in persona Ipsorum PATRONORUM & ECCLESIE Totius Vota, tam varia PIORUM AUDITORUM* cujusvis *promittudinis* *Judicia* deprehendit, ut nesciat, in quo primum, vel in quo postremum sibi gratulari, vel in Domino gloriari habeat. Vocatus igitur *Pastor Ecclesie ad D. Johannis & Augustini, & Gymnasii Groningiani Primarius Lector, ac SS. Theologie Professor, Literis Systaticis à NOBILISSIMIS PATRONIS* ad *Inclytam Nostram Facultatem Theologicam, pro Licentia Summorum in Theologia Honorum impetranda*, lætus ad Nos rediit, & facilem sibi viam in omnibus invenit. Quod igitur *felix & faustum* sit, *Specimina Theologie Candidatis conserta* posthæc ordine dabit expedita, & eorum auspiciū *Oratione* faciet *Cms DEO* dante *Hor. IX. matutina de Glor. sis Messie Actibus* ex *Oraculo Salomoneo*, superius laudato, & *Lectioibus Cursoriis* destinato. **MAGNIFICUM** igitur **Dn. RECTOREM, PATRES ac CIVES ACADEMICOS**, ea, qua par est, reverentia! præsentibus ad hanc solennitatem invito: **DEUS NOSTER SIT IN OMNIBUS BENEDICTUS!** Witteb. d. XVIII. April. Anno **M.DC.LXXX.**

05 A 573 (1/2)

ULB Halle

3

003 762 432




WD 17

64







Farbkarte #13

B.I.G.

2

... JESU!  
 NUS  
 FACULTATIS  
 EBERGENSIUM  
 MIA  
 Deutschmann/  
 DR, EJUSDEMQUE  
 ET ALUMNORUM  
 IM EPHORUS,  
 FICILIIUM, VERE-  
 IM MESSIÆ  
 DRIS,  
 VE FRUCTUM  
 BENEVOLIS,  
 MIS  
 T CIVIBUS  
 CIGIS,